DISPUTATIO JURIDICA

De

ACTIONE INJURIARUM RECANTATORIA,

Quam

Adjuvante Deo,

Præſide

WOLFGANG-ADAMO Lauterbach/
U. J. D. & in alma EBERHARDINA
Profeſſore Publico,

Ad diem Septembr.

*Horis locoque conſueto, publico
examini ſubmittit*

ABRAHAMUS PLATO,
Ratisp.

TUBINGÆ,

ANNO M. DC. LVII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LIBERÆ & AUGUSTÆ

S. IMPERII ROMANO-GERMANICI

REIPUBLICÆ RATISPO-NENSIS

MAGISTATUI INCLUTO BENIGNISSIMO, FELICISSIMO,

VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMIS,

Ut & ejusdem

DNN. CONSILIARIIS AC SYNDICIS,

NOBILISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS, CONSULTISSIMIS,

DOMINIS, EVERGETIS, PATRONIS, & Favitoribus ſuis Optimis Maximis,

Exercitium hoc Academicum

in

Sui ſuorumque ſtudiorum commendationem, & ſpem perpetui Patrocinii dulciſſimam

ſumma cum ſubmiſſione

offert ac dedicat

Abrahamus Plato, Ratisponens.
Auth. & Reſp.

J. N. D. N. J. C.

PROOEMIUM.

TAnta, proh dolor, denſiſſima hac mundi nocte, qua omnis fere virtus ad occaſum inclinat, omniſque candor ac probitas ultimum ſuum vale dixerunt, peſtilens quorundam mortalium animos invaſit lues, ut nihil intentatum, nihil inauſum relinquant, quin optimorum etiam hominum vitam, famam & mores livente lingua ſuggillare, venenatiſque conviciorum ſuorum ſagittis petere conentur: adeo, ut nullum delictum uſitatius, nullumque ſcelus hodie ſit frequentius deteſtanda injuriandi libidine. Hinc prudentiſſimi LLatores, poſtulante ita hominum malitia, ſaluberrima lethiferam hanc tabem eradicandi medicamenta ſuppeditarunt; inter quæ etiam eſt recens illud ac moribus introductum remedium, ACTIO nimirum RECANTATORIA; quam relictis reliquis, cum penitius inſpexerim, abs re me facturum non putavi, ſi theſes aliquas de utiliſſima hac, & in praxi quotidie fere occurrente materia conſcriberem, ac publico examini ſubmitterem. Quod vero ut votis fatiſque ſecundis procedat, ſummæ TRIADIS auxiliares manus imploro.

THESIS I.

VT autem in ipſius rei cognitionem eo melius invehamur, primo omnium neceſſarium erit à definitione exordiri, ut intelligatur quid ſit, de quo agitur. Eſtque illa vel nominis, vel rei.

II.

In Definitione nominis notanda eſt I. Etymologia. Dicitur autem vocabulum recantatoria à verbo recantare; quod compoſitum eſt ex præpoſitione inſeparabili re, & verbo cantare; ac hoc in loco nihil aliud eſt, quam convicia in perſonam aliquam effuſa revocare. II. Synonymia. Vocatur etiam hæc Actio Reclamatoria; ut & actio ad παλινῳδίαν; quod vocabulum derivatur ab adverbio πάλιν, quod nobis ſignificat rurſus, iterum, & ᾠδή, cantus. Vernacula noſtra lingua dicitur, Klag auff Widerruff. III. Homonymia. Accipitur aliâs hoc verbum recantare pro res cantatas ſolvere, verzauberte Ding wieder aufflöſen; Verum hæc ſignificatio non eſt hujus loci.

III.

Nominis definitione explicata, deſcendendum eſt ad Definitionem ipſius rei. Non incommode autem definiri poteſt, quod ſit actio civilis, perſonalis, rei perſecutoria, qua is, cui factum aliquod turpe animo injuriandi objectum eſt, contra injuriantem intendit, ut dicta famoſa reclamet, & à ſe injuſte prolata fateatur, læſamque quodammodo exiſtimationem actori aperte reſtituat.

IV.

Generis loco in hac deſcriptione ponitur I. quod ſit Actio. Sunt quidem, qui exiſtimant, hoc remedium actionem non eſſe, ſed potius Implorationem officii Judicis Nobilis: Verum quod ſit Actio proprie ſic dicta, ex dicta definitione actione ſatis liquet,

quet, utpote quæ tota huic noſtro remedio applicari poteſt. Definitur enim actio, quod ſit jus perſequendi in judicio, quod ſibi debetur. *pr. I. de Action.* atqui revocatio injuriarum & famæ reſtitutio nobis debetur, E. II. Dicitur Actio Civilis; idque tum ratione cauſæ Efficientis; quia nimirum moribus & conſuetudine introducta, quæ juris Civilis pars eſt. *l. 32. ff. de LL.* quo ipſo ſtatim opponitur actioni injuriarum æſtimatoriæ, quæ juri Prætorio ſuam originem debet, & Prætoria appellatur; *§. 7. I. de injur.* Ludwell. *Diſput. 15. theſ. 7. lit. A.* Tum ratione objecti, quia ad privatum intereſſe, non ad vindictam publicam tendit. III. Dicitur actio perſonalis; quia oritur ex obligatione, quæ obligatio deſcendit ex delicto. IV. Rei perſecutoria; quoniam perſequimur hac actione id, quod nobis abeſt, vel abeſſe videtur, nimirum famam noſtram & exiſtimationem. Carpz. *part. 1. pract. crim. quæſt. num. 15. & n. 62.* Georg. Frantzk. *Exerc. 12. quæſt. 8. num. 7.* Bachov. *in not. ad Weſenb. π. tit. de injur. num. 18.* Hahn. *ad Weſenb. π. d. t. pag. 713.* In quo iterum contradiſtinguitur actioni Prætoriæ æſtimatoriæ, quæ ad meram vindictam tendit. *d. §. 7. §. 10. vers. & ſi quidem civiliter. I. de injur. per §. I. de perpet. & temp. action. l. 2. §. 4. ff. de collat. bon.* Herman. Vultej. *Jp. Rom. lib. 2. cap. 19.* Gail. *1. obſerv. 65. num. 2.* Quæ omnia, ut & reliqua Definitionis verba in ſequentibus pluribus explicabuntur.

V.

Definitione hujus Actionis pro ratione inſtituti pertractata, ordinis ratio deduceret non ad Diviſionem; quam vero nullam reperio: Sicco igitur, quod ajunt pede hoc membrum prætereundum, & generalibus hiſce præmiſſis, ad cauſas tranſitus faciendus erit.

VI.

Et primo quidem ad Cauſam Efficientem; quæ vel eſt remota, vel proxima. Remota iterum eſſe vel procreans,

vel conſervans. Procreans eſt jus non ſcriptum, ſeu conſuetudo; jure civili enim plane eſt in incognita: Herman. Vultej, *lib. 2. Ip. Rom. cap. 19. num. 53.* Harppr. *in §. 10. I. de injur. num. 63. vers. præter duas præmiſſas.* Farinac. *in pract. crim. p. 3. q. 105. num. 71.* & plures alii. Conſervans eſt Imper. Camer. ordinatio. *p. 2. tit. 28.* §. und ſonderlich ſetzen. Atque ſpecialia multorum ſtatuum jura provincialia, ut Electoris Saxoniæ. *p. 4. c. 42. num. 3. ſub f. vers.* einen offentlich Widerruff. Ducis Würtemberg. *p. 1. t. 77.* § ob wol auch bißhero / &c.

VII.

Cauſa προηγουμένη, ſeu interius movens, eſt ſtudium & cura conſervandi pretioſiſſimam famæ gemmam; quam ſummum patrimonium Cicero dixit; & cujus damna majora, quam ut æſtimari queant, Lipſius pronunciavit; quia omnia ornamenta, omnis ſplendor, & omnis omnino dignitas ab hac dependent, nihilque inſatiabilibus parandum eſt proſpera ſui memoria. Tacit. *lib. 4. Annal.* & in officiis Cicero inquit: Is, qui non defendit famam, nec obſiſtit injuriæ, ſi poteſt, tam eſt in vitio, quam ſi parentes aut amicos, aut ipſam Patriam deſerat. Hinc etiam Auguſtinus, *Tenete,* inquit, *quod dixi, atque diſtinguite. Duæ res ſunt, Conſcientia & Fama. Conſcientia eſt neceſſaria tibi; Fama proximo tuo. Qui fidens conſcientiæ ſuæ negligit famam ſuam, crudelis eſt. c. nolo. 12. q. 1.*

VIII.

Cauſa προκαταρκτική, ſeu exterius movens eſt temeraria illa homines injuriandi petulantia; quæ ut eo magis cohibeatur, hoc novum adhuc remedium introductum eſt.

IX.

Cauſa efficiens proxima eſt ipſum delictum, nimirum injuria, quæ eſt delictum dolo malo in alterius contemptum admiſſum. Sutholt. *diſſert. 16. aphor. 51.* Ludwell. *diſput. 15. thes. 6.*

thes. 6. Eſtque vel realis, vel verbalis. *l. 1. §. 1. ff. de injur.* Weſenb. *in π. ff. ad h. t. num. 3.* Realis eſt, quæ fit ſine verbis, re & facto; *l. 1. §. 1. ff. de injur.* Verbalis, quæ fit verbis; & quidem vel viva voce, vel ſcriptis. *l. 5. §. 10. h. t.* Viva voce, quando quis ad alterius ignominiam profert verba contumelioſa; cujusmodi ſunt, ſi quis alterum nominet furem, nebulonem, latronem, homicidam, falſarium, uſurarium; *l. 5. Cod. h. t.* vel ſpurium, cornutum, infamem, &c. Jul. Clar. *lib. 5. ſentent. §. injuria. num. 1.* vel objiciat vitia naturæ, ut ſi aliquem claudum, ſurdum, cœcum, &c. nominaverit. Jodoc. Damh. *in ſua pract. crimin. c. 136. num. 4.* vel dicat, tu mentiris, calumniaris, &c. etiamſi additum ſit, ſalvo honore: quia proteſtatio contraria facto nihil operatur. *arg. l. 21. ff. de A. vel O. H. c. ſolicitudinem. 54. extr. de appellat.* Jul. Clar. *d. §. injuria. num. 13.* Gail. *2. O. 101. num. 2. & 3.* Weſenb. *in π. ff. h. t. n 8.* Treutl. *vol. 2. diſput. 30. th. 5. lit. G.* & ibi Bachov. Vinnius in *Comment. ad l. §. 1. h. t. num. 4.* In ſcriptis fit injuria cum literis contra bonos mores productis exiſtimatio alicujus proſcinditur. Quæ vel in ſpecie ſic dicta eſt, quando nimirum ſimplex injuria in ſcripturam doloſe redigitur abſque infamiæ nota; ut ſi quis luſcus, vel claudus in carmine aliquo ſeu cantilena appellatur. Harppr. *ad §. 1. h. t. num. 194. & 151.* aut famoſum quidem delictum in Scriptura objicitur, ſed addito autoris nomine. Dn. Benedictus Carpzov. *in p. 1. p. 4. conſtit. 44. def. 3.* Finckelthaus. *obſerv. 38. per tot.* vel famoſus libellus, (qui vulgo Pasquillus vocatur ex eo, quod in urbe Roma ad truncam Pasquini, ſartoris cujusdam maledicentiæ vitio notiſſimi, ſtatuam noctu affigi ſoleret; teſte Dn. Harpp. & Wehnero, *obſerv. pract. verb.* Pasquill.) quo notabile, certum, ſpeciale, grave atque famoſum crimen omiſſo autoris nomine alteri impingitur. *art. 10. ord. crim.* Carol. V. & ibi Georg. Rem. Carpzov. *d. l.* Finckelth. *d. l.* Nebelkr. *dec. 16.*

X.

Non autem ex omni injuria hæc noſtra Actio Recantatoria oritur. Et I. quidem non ex injuria reali, quæ huc non pertinet. II. Nec ex omni verbali: Ex iis enim, quæ famæ læſionem non reſpiciunt, veluti ſi corporis aliquod vitium objectum ſit, atque ſic injuria ſolum ad contemptum tendat, hæc actio non oritur; tunc enim non ad recantationem, ſed ad Chriſtianam deprecationem agitur. Hinc ſi quis naturæ forſitan nævos, & vitia corporis alteri objecerit, v. g. ſurdum, claudum, luſcum, &c. appellaverit, injuriatus hac actione injuriantem convenire nequit. Beilich. *pag. 5. concl. 59. num. 18.* Nam aut ita in rei veritate ſe habet, aut non. Si verum eſt, non poterit recantare Reus, cum non poſſit ſe ipſum mendaci arguere, quia verum dixit; Proſper. Farinac. *in pract. crim. p. 3. qu. 105. num. 74.* Sin falſum, ad quid proderit ipſi recantatio, cum ὀφθαλμοφανερῶς pateat, injuriantem falſa protuliſſe, nec ex eo ulla ignominiæ macula injuriatus ſit aſperſus; quo tamen caſu injurians ipſe cogitur deprecari, et muß eine Chriſtliche Abbitt thun. Carpz. *prax. crim. p. 2. q. 97. in f.*

XI.

Ex jam dictis igitur apparet, quod neque omnis verbalis injuria ad hanc actionem ſufficiat, ſed requiratur talis, quæ contra bonos mores, ſimul ad infamiam & injuriam alterius profertur; ſub qua verbali injuriam etiam in ſcriptis factam comprehendo.

XII.

Nihil ergo intereſt, an ſine ſcriptis ſeu viva voce, an vero in ſcriptis fiat, modò de animo injuriandi, ut ſupra in definitione diximus, conſtet; quia ſine dolo & animo injuriandi non committitur. §. *11. I. de injur. l 5. §. 9. ff. h. t.* ac omnium injuriarum præcipuum fundamentum & requiſitum ſubſtantiale animus injuriandi eſt, uti probatur ex *l. 3. § 1. cum ſeqq. & l. 4. h. t. l. 34. in pr. de O. & A. l. 33. ff. de injur.* Gail. *2. O. 99. num. 5.* qui præſumitur, ſi verba per ſe injurioſa ſunt. : Secus ſi

ora-

oratio dubia ſit; tunc enim in meliorem partem eſt interpretanda. *cap. eſtote. x. de reg. jur. c. f. x. de præſumpt. l. 56. de R. I. arg. l. 55. ff. de furt.* Illius autem præſumptionis hoc procul dubio eſt fundamentum, quod injuriandi animus in eo præſumatur, qui in re illicita verſatus eſt. *d. l. 5. C. h. t. d. c. eſtote.* Menoch. *de præſumpt. lib. 5. præſumpt. 3. n. 49.* Diximus antea ex animo hoc delictum æſtimari, qui ſoli quidem Deo cognitus; quoniam autem verba ſunt indices animi, *l. 7. §. 2. de ſuppellect. leg.* & factis præterea proditur, atque ſic ab extra cognoſcitur; idcirco injuriandi propoſitum ex ejusmodi verbis injurioſis præſumitur, donec à Reo contrarium probetur, & præſumptio illa Actoris, aliis præſumptionibus elidatur. Weſenb. *in π. ff. tit. de injur. n. 8. l. 5. C. h. t. & ibi* Gloſſ. *arg. c. 1. extr. de præſumpt.* Clarus *lib. 5. ſentent. §. injuria. n. 12.* Gail. *lib. 2. O. 106. n. 3.* Berlich. *p. 5. conclus. pract. 60. n. 3. & 4.* Maſcard. *de probat. con. 902.*

XIII.

Ad illam tamen fortiorem præſumptionem excludendam, non plenæ requiruntur probationes, ſed ſufficiunt conjecturæ. Farinac. *in ſua pract. crim. p. 3. q. 105. num. 121.* Dn. Carpzov. *in practic. crimin. p. 2. q. 97. n. 5.* Berlich. *p. 5. concl. 60. n. 9.* Nam ad dolum probandum perſpicua requiruntur indicia. *l. 6. C. de dol.* Perſpicua vero non manent, cum adſunt contrariæ conjecturæ. Ideoque Judex in dubio conſtitutus magis pronus eſſe debet ad abſolutionem, quam ad condemnationem, per *l. 125. de R. I. l. 47. ff. de O. & A.* Tales autem conjecturæ à variis ſumuntur circumſtantiis, ut à conditione perſonarum. *arg. l. 4. §. 1. ff. incend. ruin. nauf.* ſi videlicet ſit perſona conjuncta: tunc enim magis emendandi & corrigendi, quam injuriandi animus præſumitur. *l. un. C. de emendat. propinq.* e. g. ſi ſit Pater vel Mater, vel Præceptor, *per l. 5. §. f. ff. ad L. Aquil. l. 13. §. 4. ff. locat. l. 15. §. 38. l. 7. §. 2. l. 39. ff. de injur.* Ludwell. *diſput. 15. thes. 6. lit. B* vel Magiſtratus. *l. 13. §. 6. h. t.* vel Clericus, Theod. Reink. *lib. 3. claſſ. 2. c. 2. n. 7.* Berlich. *p. 5. concl. 60. n. 8. & 9.*

Quo pertinet etiam Aſtrologus, qui ſi interrogatus, aliquem furem notaverit, actione injuriarum conveniri nequit. *l.* 15. §. 13. *h. t.* vel ſi quid factum eſt animo conſervandi juris publici. *l.* 33. *h. t.* vel per amicitiam aut jocum dictum. *l.* 15. §. 23. *d. t.* quia etiam fatua cauſa à dolo excuſat. *per l.* 12. §. 3. *ff. de liberal. cauſ. gloſſ. in l. un. in f. ſi quis jus dicent. non ob temp.* Weſenb. *in ϖ. ff. ad h. t. num.* 8. *fere in f.* Ex aliis etiam circumſtantiis contrariæ probationes deſumuntur; ſi quis e. g. contra teſtes, aut contra Judicem ſuſpectum per criminis alicujus objectionem exceperit, tunc non locum habet actio injuriarum. Dn. Carpzov. *I. F. p.* 4. *c.* 42. *d.* 7. magis enim juris ſui tuendi, quam alium injuriis afficiendi animo id feciſſe præſumitur; NISI vel exceptionem verbis injurioſis propoſuerit, ſicque ex ipſis verbis animus injuriandi evidenter appareat; vel excipiens in criminis objecti probatione deficiat. Carpz. *d. l. def.* 7. 8.

XIV.

Quod ſi vero illud, quod dictum, ſua natura contumelioſum non eſt, tunc actori incumbit probatio, (uti aliàs regulariter,) ſc. animum injuriandi adfuiſſe, alioquin Reus abſolvitur. *l.* 2. *l.* 23. *de probat. l.* 23. *C. eod. l.* 4. *C. de edend.* Treutl. *vol.* 2. *D.* 30. *th.* 5. *lit. B.* Maſcard. *lib.* 2. *de probat. conclus.* 92. *n.* 6. *& ſeqq.* Berlich. *p.* 5. *concl.* 60. *n.* 5 *&* 6. Cæterum ſi præſumptiones & conjecturæ quædam pro injuriante, ac nihilominus præſumptiones contra injuriantem adſint, tunc Dd. rem totam committunt Judicis arbitrio, qui æſtimare debet, an juramentum purgationis Reo, ſi ſcil. perſona honeſta & non levis ſit, deferre velit, ut nimirum juret, ſe injurioſa verba non protuliſſe animo lædendi alterum: innocentia enim cum in animo conſiſtat, juramento poteſt probari. Vide hanc in rem omnino Gail. 2. *O.* 106. Carpzov. *I. F. p.* 4. *c.* 42. *def.* 9. Sutholt. *diſſert.* 16. *num.* 57. Matth. Berlich. *p.* 5. *concl.* 60. *n.* 13.

XV.

Subjectum vel activum eſt vel paſſivum. Activum

ſunt

ſunt illi, quibus hæc actio competit. Competit autem omnibus, quorum fama & exiſtimatio injurioſis verbis & conviciis proſciſſa, & ſic quodammodo læſa eſt, & illorum heredibus. Patiuntur autem homines injuriam, non modo qui ipſi facere poſſunt, ſed & qui facere nequeunt, ut ſunt impubes, furioſus. *l. 3. pr. & §. 1. ff. de injur.* Weſenb. *h. t.* Et quidem patitur quis eam vel immediate ſive per ſemetipſum, ſine conſideratione alterius perſonæ, ubi nihil intereſt, utrum abſens an præſens ſit. *l 15. §. 7. ff. h. t.* vel mediate, ſive per conſequentiam, per alias, ſcil. perſonas; ut cum quidem alteri fit injuria, ea tamen per conſequentiam & indirecte in alias quoque redundat, ut ſi injuria fiat perſonis vel ratione poteſtatis ſubjectis, veluti filiis & ſervis; vel ratione affectionis, veluti uxori & nurui. Injuria enim his facta etiam ad nos ſpectat. *§. 2. I. de injur. l. 1. §. 3. l. 11. §. 7. l. 18. §. 1. & 2. h. t.* Unde aliquando contingit, ut ex una injuria tres vel plures agere poſſint. *l. 1. §. f. h t.*

XVI.

Usque adeo autem injuria, quæ fit liberis, ad patrem pertinet, ut, quamvis volentes ludibrio habiti ſint, nihilominus tamen patri injuria facta intelligatur. *l. 1. §. 5.* licet liberis merito actio denegetur; cum nulla injuria ſit, quæ in volentes cadat. *d. l. 1. §. 5. l. 9. §. 1. ff. de aq. & aq. pluv. arc. c. ſcient. 27. de R. I. in 6.* Quod etiam procedit, etiamſi filius remiſerit injuriam: Patri tamen integra actio remanet. *per dd. ll. & l. 30. ff. de pact.* An vero pater hanc injuriarum actionem filio competentem eo invito remittere poſſit, maxima inter Doctores eſt controverſia. Nos affirmativam tuebimur; præſumitur enim hoc non ſine cauſa feciſſe, cum injuria magis ad patrem, quam ad filium ſpectet. *arg. §. f. I. de nox. act. per l. 17. § 12 h. t. ubi* Gloſſ. & Bartol. *& §§. ſeqq. ff. h. t. & l. 30. ff. de pact.* Item Clarus *lib. 5. ſentent. §. f. q. 58. n. 22.* Antonius Matthæus *ad §. 2. I. h. t.* Schneidew. *h. t. n. 8.* Fachin. *lib. 9. controvers. jur. c. 42.* Harppr. *ad h. §. num. 17.* Hahn. *ad* Weſenb. *h. t. n. 5.* Ludw.

diſp 15. *th.* 6. *lit.* D. & multi alii, quos adducit Harppr. *d. l.* Excipitur autem, ſi perſona filii auguſtior ſit quam patris, *d. l.* 17. §. 13. Clar. *lib. 5. ſentent* §. *f. q* 5. *n.* 22.

XVII.

Prædicta autem procedunt & locum habent, ſi filius ſit in patris ſui poteſtate, & injurians hoc etiam ſciverit. Cæterum ſi filius eſt emancipatus, pater injuriarum actionem ipſi competentem remittere non poteſt, quia illum non habet in poteſtate. *l.* 17. §. 14. *ff. h. t.* nec injuria liberis emancipatis facta, niſi intuitu patris facta ſit, ad eum proprie ſpectat: ſicuti etiam matri injuria per liberos non infertur: quia eos non habet in poteſtate. §. 10. *I. de adopt.* niſi in propriam vergat injuriam, ut ſi quis ſpurius appelletur; quo caſu etiam matri injuria infertur, utpote quæ morum vitæque improbitatis arguitur.

XVIII.

Marito quoque datur hæc actio ex injuria uxoris, quia injuria uxori facta, marito quoque facta cenſetur. *d.* §. 2. *I. de injur. l.* 1. §. 3. *h. t.* Clar. *lib.* 5. *ſentent.* §. *injuria. num.* 3. Non autem uxori propter injuriam marito factam; ſiquidem æquum eſt, uxores a viris, non vero viros ab uxoribus defendi. *per* §. 2. *I. de injur. l.* 2. *ff. h. t.* quæ tamen deciſio declaranda, ſi injuriæ ipſam etiam uxorem tangant; qualis injuria eſt, ſi quis maritum lenonem uxoris, aut ceu loquuntur, cornutum vocet; tum enim uxorem recte injuriarum agere poſſe ſtatuunt DD. quantumvis verba injurioſa principaliter marito objecta fuerint. Schneidew. *ad h.* §. *n.* 14. Harppr. *in ſuo comment. ad* §. 2. *I. h. t. n.* 38. Bachov. *ad l. n.* 2. *inf.*

XIX.

Veteri jure ob verbales injurias ſervis factas regulariter injuriarum actio non competebat. § 3. *in f. I. de injur.* niſi carmine ſcripto infamati erant. *l.* 15. §. 44. *ff. eod.* At hodierno tempore ſi famulis noſtris injuria fiat, actio injuriarum ipſis ſervis & ancillis competit, nec Dominis exinde datur actio,

niſi

niſi manifeſtè in contumeliam Dominorum offenſi fuerint; arg. eorum, quæ de liberis hominibus bona fide nobis ſervientibus diſpoſita ſunt in *§. 6. l. l.* 15. *§. 48. h. t.* Quòd etiam ſtatuendum de ſubdito, vaſallo, &c. nimirum & per hos Magiſtratui & Dominum ita demum injuriam factam cenſeri, ſi aperte contumeliam eorum reſpiciat. Harppr. *ad h. §. 2. n. 32.* Ludw. *diſſ.* 15. *th. 6. lit. D.*

XX.

Præterea actio hæc injuriarum acquiritur etiam ſocero pro injuria nurui illata, cujus vir in ejus poteſtate eſt, *per §. 2. I. de injur.* Fratribus vero conſanguineis & affinibus, aliisque à latere junctis hæc injuriarum actio non competit, tùm quia ei datur actio ex delicto privato, qui læſus eſt, fratres vero & conſanguinei læſi non ſunt; tum quia hoc certis perſonis tantum eſt conceſſum: ſequitur ergò quod reliquis denegatum ſit, quibus expreſſe non eſt conceſſum. Bachov. *h. l.* Harppr. *ad d. §. patitur. num.* 23. *& ſeqq.* Hahn. *ad Weſenb. h. t. num. 6. verſ. neque tamen omnes.*

XXI.

Non ſolùm vero injuriatis, ſed etiam, poſtquam deceſſerint, illorum heredibus ut ſupra innui, competit hæc actio. Etſi enim ipſemet injuriatus obierit, ejusdem tamen fama nondum interiit; quam reſtitui non modo defuncti, ſed etiam heredum intereſt: eapropter etiam Reus condemnari ſolet ad præſtandam palinodiam. Doctores quidem diſtinguunt, an lis ſit conteſtata, nec ne. Poſt conteſtatam litem in heredes tranſitoriam eſſe hanc actionem, teſtatur Carpzov. *p. 4. c. 42. d. 12. & prax. crim. p. 2. q. 96. n. 26. & 27.* ubi ita judicatum eſſe refert: Und nunmehro nach derſelben Tod / Klägern / als ihren Mann und Tochter / wegen der gedachten A. S. zugefügten Injurien / einen öffentlichen Widerruff vor Gericht zu thun ſchuldig. & conſentiunt fere omnes. Verum ſi lis non ſit conteſtata, major eſt dubitatio. Nos etiam hoc in caſu heredibus dari aſſerimus propter duas has rationes. I. quia regulariter omnes actiones, etiam ex

delicto venientes, niſi ſpecialiter exceptæ reperiantur, in heredes active tranſeunt. *l.* 1. *ff. de privat. delict.* §. 1. *I. de perpet. & temp. act.* II. Quia hæc actio non tendit ad vindictam, quam alias moriens remittere cenſetur; adeo ut hic ceſſet ratio, propter quam injuriarum actio æſtimatoria morte injuriati ante litem conteſtatam extinguitur. Vide Harppr. *ad* §. *ult. I. h. t. num.* 83. *&* 84.

XXII.

Si vero defuncto facta ſit injuria, heredes ſuo nomine eam vindicabunt, *per l.* 1 § *4. & 6. ff. h. t.* Spectat enim ad exiſtimationem heredum, ſi qua defuncto cadaveri aut funeri injuria ſit illata: Judex tamen hoc in caſu in ſententia mentionem facere debet & ipſius defuncti, & defuncti heredum hoc modo; daß er dem Verſtorbenen / und ſeinen hinterlaſſenen Erben einen Widerruff zu thun ſchuldig ſeye. Vide Carpzov. *pract. crim. p.* 2. *q.* 96. *n.* 30.

XXIII.

Inſuper hæc actio non tantum veris, ſed etiam fictis & myſticis perſonis datur, nimirum Senatui, Collegio, Univerſitati; quo tamen caſu non ſingulis perſonis, ſed toti Collegio competit, quia aliud ſunt ſinguli de univerſitate, aliud ipſa univerſitas. *l.* 7. §. 1. *ff. quod cujusque univerſit. arg. l.* 76. *ff. de judic. l.* 6. §. 1. *ut R. D. l.* 10. §. 4. *de in jus voc.* & hæc de ſubjecto activo.

XXIV.

Subjectum paſſivum conſtituunt illi, contra quos hæc actio intentatur. Datur autem non ſolum adverſus eos, qui ipſi immediate injurias intulerunt; ſed etiam contra illos, quorum ope & conſilio facta ſunt; dummodo doloſum injuriandi animum habuerint. §. 11. *h. t. l.* 11. *pr. &* § 3. *et ſeqq ff. eod. l.* 15. §. 8. *h. t.* quia quod quis per alium facit, ipſe facere videtur. *l.* 152. §. 1. *l.* 169. *ff. de R. I. c. qui facit.* 72. *de R. I. in* 6. & mandans æque tenetur ac mandatarius, ſi ſcil. hic executus ſit inju-

injuriam. *l.* 1. §. *12. ff. de vi & vi armat.* nec intereſt, unus an plures injuriam commiſerint; ſinguli enim tenentur in ſolidum, & tot ſunt injuriæ, quot ſunt perſonæ. *l. 34. h. t.* quia in delictis quisque obligatur ex ſuo dolo in ſolidum. Vide Weſenb. *h. t. n. 5. & 12.* Bachov. *ad Treutl. vol. 3. diſp. 30. th. 6. lit. D.* Imo tenetur etiam ille, qui injuriam ab altero auditam profert, divulgat, ſeu propalat. *arg. l. un. C. de famos. libell.* quo de caſu recte dicit Schneidew. §. *injuria. n. 5. h. t.* Gewehrsmann haben hilfft nicht. Injurias enim ab alio auditas proferens, famam & exiſtimationem alterius lædit non minus, ac ipſemet autor, qui eas falſo excogitavit & alteri manifeſtavit, tantoque magis hac actione tenetur propalator injuriarum. Quia peſſimum & perniciosiſſimum calumniandi genus eſt, crimen de aliquo auditum diſſeminare, eumque ex temeritate & vitio garrulitatis lædere. Harppr. *ad §. 1. l. h. t. n. 129.* Menoch. *de arbitrar. judic. quæſt. lib. 2. cent. 4. cas.* 321. *n. 20.* Dn. Carpz. *l. F. p. 4. c. 42. def. 5.* Berlich. *p. 5. concl. 65. n. ult.*

XXV.

Perſonarum autem nullus hoc in loco habetur reſpectus, ac nihil intereſt, utrum illi, qui injuriam intulerunt, ſint nobiles, an ignobiles & inferioris ſortis homines: hic enim agitur ad intereſſe partis offenſæ. Carpzov. *pract. crim. p. 2. q. 96. num.* 13. Berlich. *p. 5. concl. 62. n. 30. & 31.* Ex eadem ratione & contra univerſitatem, communionem, & integrum Senatum actio ad palinodiam competit; quia & univerſitates, perinde ut alii privati, injuriarum conveniri poſſunt; *arg. l. 9. §. 1. & ibi Gloſ. ff. quod metus cauſ.* dummodo ab omnibus de univerſitate, deliberato animo, communicatoque conſilio id factum fuerit, *arg. l. 15. §. 2. ff. quod vi aut clam.* Harppr. *in §. 11. l. de injur. n. 56.* Dn. Carpz. *in pract. crim. p. 2. q. 96. n.* 16. *& l. F. p. 4. c. 42. def. 10.* Berlich. *p. 5. concl. 62. n. 20.* Quod etiam in Magiſtratibus procedit, ſi nimirum officii ſui limites excedant, & injurioſis verbis aliquem onerent; ſecus ſi ratione officii ſui & ex ju-

ex juſta cauſa ignominioſum quippiam contra aliquem ſtatuerint. *l.* 13. §. 6. *ff. h. t.* Weſenb. *in pr. h. t. num.* 5. Dn. Harppr. *in d.* §. 11. *h. t. n.* 60. & 61. Idem etiam de Clericis ſtatuunt Dd. quod ſc. illi quoque hac actione conveniri poſſint, ſi nimirum conſtet evidenter de injuriandi animo & dolo malo. *arg. l.* 15. §. 2. & 5 *ff. h. t. & text. in R. I. Aug. Vindel. de anno* 1530. §. Und haben wir. *ibi*: daß die Prediger das Evangelium/ꝛc. predigen und lehren/ꝛc. und darzu Stumpffirens/ Schmähens und Läſterns enthalten. junct. *R. I. Spir. de anno* 1542. §. Damit aber. Vide Harppr. *ad* §. 11. *I. h. t. n.* 32. & *ſeqq.* Farinac. *in ſua pract. crim. p.* 3. *q.* 105. *n.* 75. Berlich. *p.* 5. *concl.* 62. *num.* 22. Carpzov. *p.* 2. *pract. crim. quaſt.* 96. *num.* 12. & 19.

XXVI.

Id, quod de ſupra dictis perſonis aſſerui, ſtatuendum etiam exiſtimo de illo, qui injuriarum actione conventus, ob aliud forſan delictum ad mortis ſupplicium eſt condemnatus; quod nihilominus tamen ad palinodiam condemnari debeat, quia pœnam corporis afflictivam & judici & parti ſatisfieri dicatur. Illud enim procedit, quoad pœnas, non verò quoad rerum perſecutiones. *arg. l.* 1. *C. ad Leg. Fabiam de plagiar. l.* 3. *pr. ff. de liber. homin exhibend. l. un. C. quando civil. actio crimin. prajud.* Dn. Joh. Otto Tabor *Syllog.* 1. *benedict.* 4. Vide Dn. Carpz. *I. F. p.* 4. *c.* 44. *def. ult.* Ubi dicit ſpeciale quippiam eſſe in actione injuriarum, ut pœna corporis afflictiva non excludat intereſſe partis, quod in palinodia conſiſtit.

XXVII.

Datur quoque hæc actio non tantum contra ipſum injuriantem, ſed etiam contra illius heredes, ſi nimirum lis conteſtata fuerit, quia regulariter omnes actiones poſt litem conteſtatam in heredes tranſeunt; §. 1. *I. de perpet. & temp. act. l.* 58. *de O. & A. l.* 139. *de R. I.* à qua regula hæc noſtra actio nuſpiam

ſpiam reperitur excepta; E. regulæ merito erit inhærendum. Harppr. *ad §. 12. I. h. t. n. 86.* ubi quidem negat hanc actionem adverſus heredes injuriantis lite non conteſtata competere; verum ex contrario ſenſu concedere videtur, illam in heredes tranſitoriam eſſe, ſi lis conteſtata fuerit. Atque ſic etiam judicarunt Aſſeſſores Facultatis Juridicæ Lipſienſis hiſce verbis: Daß Beklagte an ſtatt und von wegen ihres Vatters/ und reſpective Großvatters vor Gerichte Klägern / der geklagten Injurien halben einen offentlichen Widerruff zu thun / ꝛc. ſchuldig. V. R. W. referente Chriſtophoro Philipp. Richter, *part. 1. decis. 55. n. 22.*

XXVIII.

Relicto Subjecto progredior ad Objectum, quod eſt fama & exiſtimatio, quam per injurias quodammodo læſam reſtitui petimus. Crudelis enim eſt, qui famam ſuam negligit, per text. *in c. non ſunt audiendi.* 11. *q. 3. & in c. nolo. 12. q.* 1. & honor & hominis vita à pari procedunt, ita ut non minori cura & ſtudio honor atque famæ integritas nobis, quam vita ipſa cordi eſſe debeat. *l. 8. §. 2. ff. quod met. caus. l. 9 ff. de manumiſſ. vind.* Hæc cum ita ſe habeant, quis quæſo pretioſiſſimum hunc ſmaragdum malignis aliorum pedibus conculcari? quis radiantis famæ ſuæ nitorem ſacris rabidæ alicujus linguæ conviciis infuſcari patietur? Sed ſi forſan cuidam liberet quærere, quid moveret, ut hæc injuriarum actio inſtitueretur, cum tamen fama per injurias hominum lædi haud poſſit? *l. 3. C. de injur. l. unic. C. de famos. libell.* Illi hoc reſponſum volo, quod equidem verum ſit, famam acquiri, conſervari, defendi ſola & unica virtute, vitæ integritate, ac morum probitate, & non niſi propriis vitiis & actibus inhoneſtis amitti. *l. 13. §. 3. ff. de re milit. l. 1. vers. qui pro ſocio. l. 6. §. 2. de his, qui not. infam. l. 5. §. 1. ff. de extraord. cognit.* Sed quia non parum vulgi opinione & teſtimonio juvatur, nec ſemper actualis læſio requiritur; idcirco per illatas injurias, ſecundum illud vulgat: *calumniare audacter, ſemper aliquid hæret;* coram hominibus illam aliquo

modo violari, nemo eſt, qui facile inficias ibit. Ut ergo illud purgetur, agitur hac actione ad apparenter amiſſæ vel læsæ famæ reſtitutionem & redintegrationem. Hinc cauti Advocati recte ita hujus actionis libellum formant: Der Beklagte habe ſich unterſtanden ihre Klägern an ſeinen Ehren anzutaſten; non vero, daß er ihne an ſeinen Ehren verletzt habe.

XXIX.

Superius in thes. IV. dictum eſt hanc actionem injuriarum civilem eſſe, tum ratione cauſæ Efficientis, quia moribus introducta eſt; tum ratione objecti, quia tantum ad privatum intereſſe, nimirum honoris reſtitutionem, non vero ad publicam vindictam tendit. Unde patet actionem hanc non criminalem eſſe, (uti minus recte vult Robert. Marant. *in tract. de ord. judic. p. 4. diſt. 1. num. 17. & ſeqq.*) quippe quæ nec ad pœnam corporalem vel ſimilem, nec pecuniariam fiſco applicandam tendit, quod tamen finis eſt judiciorum criminalium. *gloſſ. in l. prætor. 3. & ibi* Bartol. *ff. de ſepulch. viol.* Mynſing. *cent. 2. O. 98. num. 2.* Harppr. *ad §. 10. l. h. t. num. 64. & 65.* Deinde notum eſt, etſi jure communi in criminalibus appellatio ſit permiſſa: *l. 6. C. de Epiſcop. aud. l. 20. l. 29. C. de appellat.* in Camera tamen Imperiali contrarium obſervari & in criminalibus appellationem non admitti, *Ordinat. Camer. Imperial. p. 2. tit. 28* §. Item nach dem/ꝛc. Gail. *1. O. 1. num. 28.* Jul. Clar. *lib. 5. ſent. §. f. q. 94. num. 3.* At in actione ad palinodiam appellationem etiam in Camera Imper. recipi liquet ex *d. ordinat. Cam. p. 2. tit. 28.* § und ſonderlich. *vers.* doch ſollen die Sachen/ꝛc. quod etiam aliis in judiciis paſſim obſervatur, & nuper demum præjudiciis ſupremi Würtembergenſis (quod hic Tubingæ eſt,) dicaſterii fuit confirmatum, non obſtantibus ab adverſa parte objectis exceptionibus. His igitur immobilibus fundamentis nixi, firmiter concludimus, actionem recantatoriam civilem, non criminalem eſſe. Et hanc ſententiam noſtram præter jam allegatos etiam amplectuntur maximi nominis JCti, Weſenb. *conſil. 22. num. 18.*

n. 18. & in w. ff. h. t. n. 18. Vultej. *Ip. Rom. lib. 2. cap. 19. num. 53. & in §. 7. I. de injur. n. 6.* Petr. Theodoric. *in colleg. crim. diſput. 2. th. 20. lit. D.* Dn. Frantzk. *in ſuis exercit. jurid. exerc. 12. q. 8. n. 7.* Treutl. *vol. 2. diſp. 30. ſub theſi ult. & ibi* Bachov. Beſold. *in theſaur. pract. lit. W. n. 43.* Vinnius *in Comment. ad §. 10. I. h. t. n. 1.* Ludwel. *diſp. 15. th. 7. lit. B.* Sutholt. *diſſertat. 16. aphoriſm. 64. & ibi* Schröter. *in not.* aliique plures, quorum enumerationem ſupervacaneam eſſe judico. Rationes vero & argumenta Diſſentientium quanti momenti ſint, in ipſo conflictu videbitur.

XXX.

Poſt objectum depropero ad Formam, quæ dependet à Fine, qui eo tendit, ut mediante hac actione, fama quodammodo læſa reſtituatur ac redintegretur.

XXXI.

Libellus autem præter propter ita concipi poteſt. P. P. Sage demnach kürtzlich: Ob woln in beeden Geiſt- und Weltlichen Rechten / wie auch in denen heilſamen Reichs Conſtitutionen ernſtlich verbotten / daß keiner den andern mit Läſter- Schelt- und Ehrenrührigen Worten an ſeinen Ehren / gutem Namen und Leumund antaſten ſolle; und dann der Kläger ſich von Jugend auff / ohne ſondern Ruhm zu melden / wol und ehrlich verhalten / ſonderlich aber deß ſchändlichen Lügens und Betrügens je und allwegen ſich enthalten: Deſſen aber doch unerachtet / hat ſich der ſchuldigſt beklagte Titius vermeſſentlich und hochſträfflich unterfangen / deß nothgedrungenen Klägers Sempronii wolhergebrachten guten Namen und Ehr zu beſchmitzen / in deme er vor wenig Wochen / nemlich den 3. Junii dieſes fürlauffenden Jahrs auff dem offentlichen Marckt / in Beyſein vieler ehrlicher Perſonen gedachten Kläger bezüchtiget / ob hätte er Kläger nicht allein den Beklagten / ſondern auch mehr andere Leut ſchon unterſchiedlich malen in getroffenen Contracten mit allerhand vorgegebenen Lügen hinterführt und betrogen. Dieſe atrociſsimas in loco publico effu-

ſas injurias hat nun Kläger gleichbalden ad animum revocirt / wolte auch lieber Gut und Blut verlieren / als ſelbig ungeandet laſſen : Als gelangt an den Herrn Richter deß höchſtverurſachten Klägers nothgedrungen Bitten / mit Urtheil und Recht zu erkennen und zu ſprechen / daß dem Beklagten weder gezieme noch gebührt den Kläger geklagter maſſen zu injuriren / ſondern er daran zu viel und unrecht gethan ; Dannenhero er dem Kläger einen offentlichen Widerruff zu thun / auch alle aufflauffende Unkoſten zu erſtatten ſchuldig und verbunden ſeyn ſolle.

Hierüber das hülff-Richterliche Ampt pro adminiſtratione juris & juſtitiæ beſten Fleiſſes anruffend.

Salvis ſalvandis.

XXXII.

Effectus eſt, ut Reus condemnetur ad verborum injurioſorum revocationem & recantationem.

XXXIII.

Formula autem palinodiæ talis eſſe poteſt : Ich Titius bekenne hiemit offentlich / daß ich an all dem jenigen / ſo ich Sempronio Ehrenrührig nachgeredet / zu viel und unrecht gethan ; und demſelben nichts anders / als was zu Ehren dienet / und einem ehrlichen Mann wol anſtehet und gezimet / nachzuſagen weiß. Thue derentwegen ſolches alles hiemit offentlich revociren und widerruffen. Vide Olearium in ſeiner Perſianiſchen Reißbeſchreibung. *part. 3. fol. 543.* Similis fere formula ab Incluto Würtembergenſi Dicaſterio præſcripta habetur apud Beſold. *ad Ius Provinc. Würtemberg. diſp. 1. th. 165.*

XXXIV.

Fieri autem debet palinodia in loco publico, & quidem in propria perſona, non vero per Procuratorem, qui in executione non admittitur; uti docet & præjudicio illuſtrat Berlich. *p. 5. concl. 62. num. 33. & 34.* In Camera vero Imperiali Reus jubetur coram judice prioris inſtantiæ recantare, etiamſi ejus judicis ſententia ſit reprobata; uti refert Berlich. *d. l. n. 35.*

XXXV. Quod

XXXV.

Quod ſi vero Reus condemnatus tam pertinax eſſet, ut injurias revocare nollet, (quod ſæpe contingit,) tunc vi ad illud compellitur. Ubi tamen prius diſtinguendum: an Reus præſens an abſens ſit. Si præſens, tunc habito reſpectu & qualitate perſonæ vel pœna pecuniaria, vel carcere, vel aliis modis prout Judici æquum viſum fuerit tam diu coërcendus eſt, donec ſe morigerum præbeat & palinodiam canat. Moller. *l.1.ſemeſtr. c.23.n.1. & 2.* ubi præjudicio id confirmat. Item Berlich. *p.5. concl.62. n.36.* Et hanc ſententiam in pronunciando quoque ſecutos eſſe Scabb. Lipſiens. teſtatur Dn. Carpzov. *in pract. crim. p. 2. quæſt. 94. num. 22.* Reo vero adhuc contumaciter revocare injurias renuente, ulterius in carcere detinetur, pane & aqua cibatur, & pœnarum exaſperatione ac relegationis comminatione compellitur. Si vero nec tum parere velit, lictor, & quandoque ipſe carnifex adſciſcitur, qui nomine Rei injurias recantat, eo præſente & audiente: prout in terminis hoc tradunt & præjudiciis confirmant Dn. Carpz. *in pract. crim. p. 2. q. 94. n. 25 & 26.* Berlich. *p. 5. concl. 62. num. 37. & 38.* ubi dicit, quod in quibusdam locis pro forma recantationis obſervetur, ut Reus in loco judicii injuriam revocet, idque propria manu ore ſuo mendaci percuſſo palam teſtatum faciat; quod ſi recuſet, tunc carnificis executioni id mandetur.

XXXVI.

Si vero abſens ſit Reus, tunc ſub pœna pecuniaria citatur, ut Judici ſe ſiſtat, & palinodiam canat; Eo vero non comparente ſententia, in qua Reo revocatio injuncta eſt, publice, non modo in loco judicii, ſed etiam in loco injuriæ commiſſæ, & ubi Reus domicilium conſtituit, affigitur; atque ſic fama injuriati offenſa reſtituitur. Vide Berlich. *p. 5. concl. 62. n. 39. & ſeqq.* Farinac. *in pract. crim. p. 3. q. 105. n. 71.* Carpz. *pract. crim. p. 2. q. 94. n. 27. & 30.*

verbales honoris ſui tuendi gratia in ipſummet injuriantem incontinenti propria authoritate rejicit; quod his verbis ut plurimum fieri ſolet: Du leugſt wie dergleichen ehrvergeſſener loſer Mann. Ubi tamen neceſſario requiritur, ut retorſio fiat in continenti, id eſt, eo tempore, quo quis retorquendi habuit poteſtatem, puta, quo primum certo reſcivit & cognovit ſibi injuriam factam eſſe, obſervato quoque debito moderamine. Dn. Harppr. *in* §. *12. l. h. t. n. 90. 91. 92. & ſeqq.* Gail *lib. 2. O. 100. ferè per tot.* Berlich. *p. 5. concl. 64.* Cum igitur injurias hoc modo à nobis propellimus, eo ipſo quoque injuriarum actionem extinguimus: ceſſante enim cauſa, ceſſat effectus. *c. 60. x. de appellat.* Harppr. *ad* §. 12. *l. h. t. num. 97.* Bocer. *claſſ. 4. diſp. 4. th. 78. edit. 2.* Berlich. *p. 5. concl. 64. n. 38. & ſeqq.* Dn. Hahn. *ad* W*eſenb. h. t. n.* 13.

XI.

Remiſſione tollitur Actio Recantatoria, cum injuriatus ſe delictum remiſiſſe oſtendit. Ubi notandum, quod ſemel remiſſa injuria, poſtea, ut maxime quis velit, ex pœnitentia reſuſcitari nullo modo poſſit. *§. f. I. h. t. l. 11. §. 1. ff. h. t.* Fitque remiſſio illa vel expreſſe, verbis vel literis; vel tacite, & quidem vel diſſimulatione, vel præſcriptione. Diſſimulatione, ut ſi injuriatus ſua ſponte & proprio motu cum Reo familiariter loquatur, edat, bibat, ludat. Weſenb. *in par. ff. h. t. num.* 13. Fallunt tamen hæc familiaritatis indicia, ſi honoris cauſa ab injuriato commode omitti non poterant: veluti ſi ambo ſunt ad convivium invitati, & ad unam menſam poſiti; tunc enim quadam honeſtatis neceſſitate ductus injuriatus injuriantis pocula jure aulico, (uti loqui ſolent,) auff Hoffrecht / id eſt, citra injuriæ præjudicium, accepiſſe cenſetur. Gail. *de arreſt. Imp. c. 14.* Dn. Carpzov. *in I. F. p. 4. c. 4 6. def. 8.* Schneidew. *ad* §. *f. I. h. t. n. 1.* Ludw. *diſp. 15. th. 7. lit. D.*

XII. Th-

XLI.

Tacite etiam, ut ſupra monuimus, expirat hæc actio præſcriptione. Quo autem temporis ſpatio præſcribatur, magna inter Dd. eſt controverſia. Quidam anno utili præſcribi putant; cui ſententiæ etiam ſubſcribit Carpzov. *pract. crimin. p. 2. q. 94.* Verum illorum mihi verior videtur ſententia, qui ſtatuunt, eam perpetuarum actionum cohorti aggregandam eſſe, & triginta demum annis finiri: tum quia hæc noſtra actio conſuetudine, quæ certe juris civilis eſt ſpecies, jamdudum recepta eſt, *ſupr. alleg. l. 32. ff. de LL.* jam autem manifeſtum eſt, actiones juris civilis eſſe perpetuas. *pr. I. de perpet. & tempor. action.* Tum etiam, quia non eſt pœnalis, ſed magis rei perſecutoria, quippe quæ ad honoris quaſi reſtitutionem principaliter tendit: actiones autem rei perſecutorias perpetuas eſſe, quis eſt, qui dubitat? *l. 35. de O. & A.* Weſenb. *conſil.* 22. *num. 20. 22. & ſeqq. part. 1.* Petr. Theodoric. *colleg. crim. diſp. 2. th.* 21. *lit. D.* Dn. Harppr. *ad §. 12. I. h. t. n. 17.* Bocer. *claſ. 4. diſput. 4. th. 72. in f. edit.* 2. Matthias Berlich. *p. 5. conclus. practicab. concl. 62. n. 43. & concl. 69. n. 12.*

XLII.

Denique à parte utriusq; tollitur pacto ſive transactione, ſi partium alterutra cum altera ob injuriam illatam paciſcatur, ſive id pactum mere gratuitum exiſtat, ſive cum pretio conjunctum. *§. 11. §. 1. ff. h. t. l. 17. §. 1. ff. de pact.* Perez. *in Cod. n. 19. h. t.* Et hæc de modis, quibus hæc noſtra actio extinguitur.

XLIII.

Ad Cognata referri poſſunt reliqua remedia & actiones, quæ ex delicto injuriarum oriuntur, ut ſunt actio criminalis & civilis æſtimatoria: quæ an concurrant cum hac Actione Revocatoria cumulative an elective, quæſtionis eſt. Nobis videtur quod & cum actione criminali & actione æſtimatoria, (utram

harum

harum injuriatus elegerit,) cumulative concurrat, & in uno libello proponi, eodemque proceſſu judiciario ventilari poſſit. De conjunctione palinodiæ cum criminali dubium non eſt, & omnes fere conſentiunt. Carpz. *l. F. p. 4. conſtit. 42. definin. 2. & pract. crim. p. 2. q. 95. n.* 31. Frantzk. *exerc.* 12. *q. 8. n. 8.* Hahn. *ad Weſemb. h. t. num.* 18. Civilem vero quod attinet, de illa, an ſimul moveri poſſit cum noſtra, major eſt dubitatio: ſed & de illa idem affirmare nullus dubito. Quandocunque enim duæ actiones ex uno delicto veniunt, quarum una eſt rei perſecutoria, altera pœnalis, tunc illæ actiones cumulari poſſunt, nec una alteram conſumit. Atqui hæ actiones ex uno delicto veniunt, & ſunt rei & pœnæ perſecutoriæ, (diverſum namque eſt petere rem & petere pœnam.) E. Majorem noſtram probamus. *per l. 7. §. 1. ff. de condict. furtiv. & l. 130. de R. I.* Minor ex ſupra explicatis patet: æſtimatoria enim ad meram vindictam, hæc vero ad rei perſecutionem tendit. Et hanc ſententiam in praxi receptam, & in Camer. Imperial. obſervari, teſtatur Gail. *lib.* 1. *O. 65.* Mynſing. *cent.* 2. *O. 98. n. 10.* Berlich. *p. 5. concl. 62. n.* 13. Perez. *in C. h. t. n.* 25. Harppr. *ad §. 10. I. h. t. n. 70.* Frantzk. *d. exerc.* 12. *q. 8. num. 8. & ſeq.* Bocer. *claſſ. 4. diſp. 4 th. 50. edit.* 2. Dn. Schütz. *in ſuis exercitat. jur. diſput. 19. lit. B.* Hahn. *ad Weſemb. h. t. n.* 18. Mævius *ad jus Lubec. lib. 4. tit. 4. art. 16. n. 8. 9. & 10.*

HUC USQUE.

Primum Invocato Soli ſit Gloria.

D CAR-

CARMINA GRATULATORIA.

PHiloſophum Nomen; *Conatus Iuris amantem*
Te produnt, raro fœdere nexa ſibi:
Quid non ſperemus! ſurget de nomine Nomen,
Deque labore Tuo Fama loquetur anus.

Ita ominatur
JOH. ADAM OSIANDER, D.

QUale recantandi ſit jus opprobria famæ,
Et calamo docto premis & ore potens,
Crede mihi, à Momo victrix palinodia victo
Usque canenda tibi, quam bona fama petit.
Crede mihi, à Famæ ſuavis palinodia plectro,
Tanquam echo laudis, clara canenda tibi.
Crede mihi, hæc ſimulac illa eſt palinodia, qualem
Gratulor, & pleno jure recanto

TIBI
Amico, & quondam Commenſali meo ſuaviſſimo.
hon. & am. ergo
JOH. CONRADUS Brotbeckh / Med. D. & P.P.

J*Vra modosque* recantandi *qui monſtrat, &, inde*
Actio *quæ ſurgat jure probante, docet:*
Is næ dignus erit, recinat *cui Livor inanis,*
Et nunquam pallens occinat *invidia.*

Ita accinit
JOANN. GERLACH VARNBÜLER
in & ab Hemmingen.

TUrba Novenſilium noſtros accede penates,
Et verſus nobis ſuggere dulciſonos,
Queis noſtri valeam laudes cantare PLATONIS,
Ejus & eximium concelebrare decus:

Qui

Qui famam ſummis opibus defendere tentat,
Annon præclaro dignus honore cluet!
Dignus honore cluet, qui non depinxit inanes
Ideas, ſed rem clarius exhibuit!
Dignus honore cluet, Themidos qui caſtra ſecutus
Juſtitiæ myſtis prælia docta movet!
Dignus honore cluet, vitam qui moribus ornat
Egregiis: ergo: Dignus honore PLATO!

Ergo recantabit merito, qui dentibus uncis
Famam conatur rodere PLATO tuam.

Ita Amico ſuo exoptatiſſimo, & Commenſali ſuaviſſimo applaudere voluit

GEORGIUS ULRICUS RÜMELIN,
Supremæ Curiæ Würtemb. Advocatus.

ARcanas, quas mente *PLATO* depingere, formas,
Tentavit *Senior*, *Iunior* ore refert.
Laudandum probrum eſt, ubi nec *Revocare* jubetur,
Sic Juvenes vincunt Palladis arte Senes.

Ita Nobiliſſimo DN. RESPONSURO & Conſalino ſuo gratulatur

CHRISTIANUS KEHEBOLDUS.

INtegritas fidei, quam fidus Amicus amico
A teneris noto debet, ceu magna requirit
Conſtantis cantare Tua τεκμήρια mentis:
Non minus has laudare Theſes, doctosque labores
Decantare jubet, quos doctior approbat Orbis:
Scilicet à puero ſubſiſtere neſcius ardor
Diſcendi, has quondam promiſit non ſine fauſto
Omine, quæ præſtas, poſthac præſtare paratum
Te video; & dulcis patriæ jam mœnia gaudent,
Te Civem luſtrare ſuum, Tibi præmia digno
Digna tuis tribuent meritis, multamque ſalutem
Ex Te, Te ſalvo, ſperant, laudantque labores
Hos decantandos: hinc quilibet inter Amicos
PLATO Tuas geſtit laudes cantare: recanto

Has ipſe. Ex voto cedant Tibi proſpera cuncta;
Accipias olim multo cum fœnore fructus.

Hiſce
Nobiliſſimo & Præcellenti Domino AUTHORI hujus Diſſertationis, Conterraneo, Commenſali & Contubernali ſuo amiciſſimo, de eximiis in ſtudio juris progreſſibus animitus gratulari voluit debuit
JOH. ABRAHAMUS Widmann/ LL. Stud.

PRæclaras animi dotes effundis Amice,
Dum ſcandis cathedram, themata docta docens.
Certe pro tantis Sudoribus, Optime PLATO,
In Patria dulci Præmia digna feres.

Ita gratulatur
JOHANN. GEORG. Scherer/
Not. Cæſ. Publ.

ABRAHAMUS PTATO, RATISPONENSIS,
LEGUM STUD.
Ἀναγραμματικῶς.
VIRTUS MAGNA UT SOL SPLENDET. ABI, HAS PROMIS.

QVem te felici, quem dicam ſidere natum?
Carmina te Vatum non celebrare queunt.
Dum ſcandis Cathedram theſium defendere Verum,
Demonſtras multæ ſedulitatis opes;
Inſimul & mentis prodis clariſſima dona,
Quæ Natura Tibi Diva colenda dedit.
Scilicet Ingenium, PLATO Clariſſime, ſplendet,
Splendet præclarum Nomen Honosq; Tuum.
MAGNÆ VIRTUTES SPLENDENT, QUAS PROMIS ubique;
Ac UT SOL SPLENDET *Fama celebris.* ABI,

Iam precor, ut radios ſpargas Doctiſſime PLATO
Latos, & ſtudij præmia læta feras.

Ita gratulabundus acclamat
JOHANNES MARTINUS RÜMELIN,
Philoſ. Stud.

FINIS.